

1775

C O D I C E S

1776

Praeterea *Versus chronici de Birgittae*, ejus filiae *Catharinae* et ejus Confessoris *Petri* obitu adjuncti sunt praevio Indici, ut adeo Codex hic Hagiographis *supracitt.* operam haud inutilem locare potuisset.

DCCXL.

U. 1018 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 14. 4. per duas columnas luculente exaratus, minio decorus, et olim *Joh. Fabri Vien.* Antistitis ita inscribitur: *Incipit prologus Regule domus sancti spiritus.* De Ordine isthoc hospitalario ab *Innocentio III.* ineunte Sec. XIII. ita instituto, ut ex Hospitali *Rom.* dicto in *Saxia*, et *Montispe-liensi* fundamenta coalescerent, illicque primus praefesset *Guido Montisp.* Comes, disserit *P. Marian. Brockie* in nova et aucta edit. *Codicis Regularum Holsteniani T. V. Aug. Vindel. 1759. Additam. XLIV. p. 495.* ipsamque *Regulam* exhibet. Ingressus est: *Stephanus diuina miseratione tituli sancte marie trans tyberim presbiter. et Ranerius sancte marie in cosmidin diaconus cardinalis. Dilectis filijs. magistro et capitulo domus sancti spiritus de urbe romana. et uniuersis rectoribus, fratribus et sororibus aliarum domorum, sub ipsius ordine et magisterio commorantibus salutem in domino. Titulus. Hec est regula sive statuta. que de mandato et auctoritate sedis apostolice. uobis obseruare precipimus a summo pontifice* (addit *Brockieus: Domino Innocentio*

*Papa III.) et ab omnibus sacrosanctae romane ecclesie cardinalibus confirmata. que sic incipit: Praefati duo Cardinales purpuram anno 1212. adepti sunt teste Ciaconio in Vit. Pontiff. et Cardd. T. II. col. 30. Regula porro ipsa per rubricas decurrit in Codice; alio tamen ordine, quam in editis. Ita prima nobis Rubrica est: Quid fratres ex debito querere debeant et non amplius; in editis vero Caput VI. censetur; praecedunt enim, quae de Receptione Novitiorum mandantur, quae fol. demum 6. nobis leguntur. Varias item Rubricas in alterutro Exemplo desunt. Ita ultima nostra: Precipimus uniuersis fratribus et sororibus nostris tam presentibus quam futuris ut nullam familiaritatem habeant cum hominibus fidem romane ecclesie non tenentibus nec credentibus in sanctam trinitatem; quae inscribitur: De perfidis fugiendis, abest ab Impresso. Econtra noster Codex v. g. non habet Caput LIX. De Cunabulis Puerorum, et plura alia, quae successu temporis aut addita, aut resecta, aut mutata sunt; Exemplar enim impressum vulgatum est a Praeceptore et Magistro gen. Ordinis *Bernardino Cyrillo Aquilano* anno primum 1564. quando nostrum jam Sec. ut dixi, XIV. exaratum fuit, atque ita primaeva Regula videri potest. Habet illud fol. 12. p. 2. adjunctum etiam *Ordinem ad induendum nouitios*, quo carent *Edita.* Ad calcem legas: *Marcus Bolld &c. Cesaree M^{is} &c. Capellanus Miles utriusque Preceptor et Com-menda-**

1777

A S C E T I C I.

1778

mendator ecclesiarum Sancti Spiritus et Sancti Anthonij extra Portas Carintheorum &c. Wienne &c. Manus Sec. XVI. est, sed ante an. 1529. quo anno Equites hi religiosi ob Turcarum obsidionem vel in *Bulgarn* super. *Austriae*, vel ad alias Ordinis Commendas dilapsi sunt, censente *Leop. Fischero* in *brevi Notitia Urbis Vindobonae* P. I. c. 17. p. 239. e quo loco, et iis, quae subplet initio *Partis* II. conficitur: Fundamenta Ordinis S. Spiritus *Vienne* jam a. 1208. liberalitate *Gerardi* cujusdam jacta fuisse, extitisseque Hospitale cum dictis duabus sacris aedibus trans torrentem *Viennam* adpellatum intra *Portas Stubarum* et *Carinthiacam*. Sex ejus Magistros ab a. 1311. elicere e Documentis *Fischero* licuit, quibus septimum e Codice nostrum *Marcum Bolld* addamus.

DCCXLI.

R. 2144 Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 68. 12. commode perscriptus et minio illustratus *Επιτομην* continet Statutorum Ordinis Equestris Teutonici hoc Rubro: 1582. *Vertzaichnus Etlicher der fürnemstenn puncten vnn'd Articul Vfs vnfers Ordens buch, durch mich Jeorg vomn gemingen T. Ordens Chomentbür zu Fryburg gezogen.* Praeit Icon Epitomatoris loricati injecto Ordinis pallio, dextra Scuto Ordinis, laeva Scuto Familiae innixi adscripto nomine et munere, ut in titulo, nisi quod

Brisgovia addatur. De eo nihil peculiare traditum reperi. Ad calcem: *Geschriben vnd volendeth zu friburg Im Breyfsgö vff sambstag den 29. Xbris. Anno 1582.* Sequitur Index contentorum. Infunt vero praeter Leges primitivas etiam Consuetudines Ordinis, et ea, quae successu temporis Magni Magistri sanxere.

DCCXLII.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 1143 XVII. Folior. 110. 4. duabus partibus constat, quarum Prior inscribitur: *Celsissimi T. O.* (Teutonici Ordinis) *Privilegiorum Liber*, et continet primum Bullas Pontificum, dein Imperatorum *FridERICI* tantum II. *Ottonis* IV. et *Philippi* Diplomata Ordini data, maximam partem germanice versa, quibus etiam accedunt *Ulrici Carinthiae*, et *Alberti Austriae* Ducum Literae, Indulgentiae Ecclesiis Ordinis concessae, et Facultates dispensandi, quibus Ordinis Presbyteri gaudent. Ad singula haec Monumenta notatur, quibus in locis eorum Authentica hodie ferventur. Pars altera titulum praefert: *Celsissimi T. O. Regularum et Statutorum Liber*, et post brevem Relationem historicam de Ordinis institutione, progressu et confirmatione continet *Regulam* XIX. Capitibus comprehensam, prout a M. Magistro *Maximiliano* Archid. *Austr.* renovata dicitur, demumque *Statutorum* Capita XV. omnia haec lingua vernacula.